



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica  
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

**Valiero, Agostino**

**Coloniae, 1582**

De credendis. Cap. VI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

**I**TA QV E dicit Ecclesiasticus orator credendum esse  
 Expresso in sacris literis Dei verbo, de quarum aucto-  
 ritate alio loco dicemus. Et vt intelligat nō omnia, ad sa-  
 lutem pertinentia, comprehendit expresso Dei verbo; le-  
 gat Osi Cardinalis Vuaruiensis, doctissimi hominis, pul-  
 cherrimum ea de re libellum. Credendos duodecim ar-  
 ticulos, qui in sancto Apostolorum Symbolo continentur,  
 proponet. in quorum explicatione, magnā copiam ei sug-  
 geret aureus liber, qui proximis annis iussu Pij V. Pontifi-  
 cis Maximi, est editus, Catechismus Romanus. Cauebit,  
 nē vllum vnquā articulum in dubium reuocare videa-  
 tur: quod nonnulli faciunt ostentatiōe potius, quā inscitia  
 aut infidelitate. disputāt enim de Dei prouidentia, & ar-  
 gumenta multis iam seculis explosa, in medium afferunt.  
 qui conatus minimē necessarius, vt periculosus, aut potius  
 perniciosus, non est laudandus. Sape Ecclesiasticus orator  
 affirmabit duodecim articulos fidei esse principia, bases,  
 & fundamēta Christiana religionis: ita esse certa, ita in-  
 dubitata, ita multorum martyrum sanguine cōfirmata;  
 vt stultum sit, aut potius impium, eos in dubium reuoca-  
 re. Proponet etiam, esse Apostolis & apostolicis viris, tan-  
 quam ministris Spiritūs sancti, fidem adhibendam: ad-  
 mittendas sanctas traditiones Apostolorum, quas, voces  
 Dei & oracula eiusdem sancti Spiritūs, quem equalem  
 patri & filio adoramus, existimare Christianus populus  
 debet. Sanctam Ecclesiam, matrem & magistrā veri-  
 tatis, & sponsam Christi credendam: sanctis Concilijs ge-  
 neralibus, quibus tantam auctoritatem tribuendam pu-  
 tauit beatus Gregorius, quantam Euangelistis, nimirum  
 quia

§ DE RHETORICA ECCLES.

quia in Spiritu sancto sunt congregata, assentiendum; & sanctis Doctoribus, si inter se consentiant. Non credendum sathana, perenni animarum nostrarum hosti, scelestam dogmatum nouitatem suggerenti. non credendum eius discipulis hereticis, puritatē catholicae fidei malitiosè & impiè contaminantibus: non credendum proprio ingenio, neque cuius in rebus ad fidem pertinentibus.

De sperandis. Cap. VII.

**E**T quia, veluti fidelissima comes, fidē sequitur spes, proponet Ecclesiasticus orator, speranda esse omnia bona à clementissimo cali & terra domino, & à patre misericordiarum Deo: habere nos aduocatum Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, cuius preciosissimo sanguine, à sathana tyrannide liberati sumus: illum pro nobis orare: sperandam esse vitam aeternam, eamque auidè expectandam, hoc est, visionem & fruitionem Dei, consortium Angelorum, & vitam periculis & molestijs omnibus vacuam, caelestibus & perpetuis bonis abundantem. Moneat sepè populum Dei, nè inani quadam fiducia se ipse fallat: sciat misericordem esse dominum & iustum: fidem operibus comprobendam esse: non esse Deum ad iracundiam prouocandum, à quo innumerabilibus affecti sumus beneficijs, & in quē speramus. Quòd si quempiam desperare suspicabitur, beati Augustini verba poterit commemorare: Respira peccator, respira, nè desperes: spera in eum, quem times: confuge ad eum: inuoca opportunè, quem superbe prouocasti.

De